



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome  
Controuersiarum Omnium huius Aeui  
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis  
Quadripertitis digestarum**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Mogvntiae, 1624**

LVIII. An promiſſio baptismatis sit votum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11726**

voti soluendi Morale est; idè non antiquatum.

AD II. Obstringit in rebus præceptis; non in arbitrariis quæ sunt Consilii Evangelici. Ita patri se obstringere filius potest in rebus sui iuris.

AD III. Si Christus libera vitæ genera esse voluit, cur multi se matrimonio vinculant? Dein; Negat Martyr quicquam esse adiaphorum & liberum, sed præcepta omnia. Libertas autem Evangelica est à peccato, non à lege. Rom. 6. *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.*

AD IV. Non pugnat gratitudo serui, facientis sibi necessarium, cum benignitate Dei relinquentis quid liberum.

### Q V Æ S T I O L V I I I.

*An promissio Baptismalis sit  
Votum?*

**L**VTHERVS & CALVINVS consentiunt in ista. 1. Vota ad Dei cultum fieri solum posse de rebus præceptis. Ideoq; commune votum esse, factam in Baptismo promissionem. 2. Posse voueri ad negotia vitæ expeditius peragenda, vitandaque peccata. 3. Vota monastica esse impia ac soluenda: quod fiant opinione cultus diuini, & de rebus non præceptis.

SVADENT de voto Baptismi. 1. Quia Christus antius peccant, & puniuntur, legem non seruant, s. quàm infideles: igitur obligationem habent, quam non hi. 2. Augustinus in Psal. 75. *Quid debemus vouere? Credere, sperare, bene viuere secundum communem modum. &c.*

AUTOR. Promissio in Baptismo non est propriè votum. 1. Quia vota esse voluntaria debent: Deut. 23. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Si vo-*

*ueris; non tardabis reddere: At promissio baptismalis est necessaria: cum ad eum obligemur omnes. 2. Quia alia vota, quæ pro infantibus edant parentes, non sunt rata si adulti nolint: at in Baptismo facta pro iis promissio sic eos obligat, vt cogi possint inuiti, ceu mēbra Ecclesiæ, 3. Si promissio baptismalis esset votum, peccata Christianorum essent duplicata, vt, contra Legem, & contra votum; essentque sacrilegia, nec minus peccarent, quàm religiosi.*

DICO AD I. Grauius peccant Christiani ob ingratitudinem; non ob aliam obligationem.

AD II. Augustinus ibi votum accipit largo modo, quo votum propriè dictum, & etiam omnem promissionem comprehendit.

### Q V Æ S T I O L I X.

*An Paupertas voluntaria, & Obedientia rectè voueantur Deo?*

**L**VTHERO-CALVINISTÆ negant. SVADET Brentius in Confessione Wirtembergica cap. de votis: Vouens paupertatem, 1. Si sit pauper, nil habet quod vouere possit; Vt si in morbo quis voueret se agrotaturum. 2. Si dines; aut vouet daturum se in commune; & hoc est fugere paupertatem: 3. Aut daturum omnia pauperibus spe meriti; & hoc est contra fidem; quia Christus omnia nobis meruit.

AUTOR. 1. Voluntaria paupertatis Votum sanctum est: 1. Evangelio teste: Vide in Antichristo p. 2. q. 26. 2. Quia, Act. 4. *Credientium cor vnum & anima vna: Nec quisquam eorum, que possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia.* Idque ex voto factum,

Ecce 3 teste